

ANNO DOMINI DCCCLXXXI.

# HERICUS ANTISSIODORENSIS MONACHUS.

## NOTITIA HISTORICA.

(Apud Fabricium, Bibliotheca med. et inf. Lat.)

HERICUS, sive *Herricus*, corrupte *Liricus*, vel *Firicus*, monachus Antissiodorensis ordinis Benedictini circa annum 880, teste Sigeberto Gemblacensi, cap. 104, scripsit carmine ad Carolum Crassum jam imperatorem: *Vitam S. Germani Antissiodorensis* libris vi in Actis Sanctorum, tomo septimo Julii 31, ex edit. Paris. 1543 in-12. Gaspar Barthius, qui plura loca Vitæ Germani illustrat in suis Adversariis, etiam *hymnum* publicavit xxxiv, 20. Libros duos *de miraculis* ejusdem Germani prosa scriptos jam ediderat Labbeus tomo I Bibliothecæ novæ mss., pag. 531, 569. *Sermonem* adhuc ineditum in hunc Germanum laudat Mabillonius. *Vita S. Albani* martyris, quam versibus scriptam Possevinus memorat (Hericus hic illi est *Henricus Luxoviensis*; confer Vossium, pag. 332.), exstat initio quarti libri Vitæ S. Germani, ut in Actis Sanctorum tom. IV Junii, pag. 831, recte observatum. *Epistolas* ejus plures et *sermones* laudat Trithemius cap. 289, de S. E., et illustrium Benedictinorum II, 56. Ex sermonibus illis nonnulli leguntur in Homiliario Pauli Diaconi, quos a recentiore manu additos esse oportet. Vide si placet tomo XIII Bibliothecæ Græcæ, pag. 795. Ex homiliis ejus in Joannem nonnulla Combefisius Bibliothecæ suæ concionariæ inseruit, qui vocat *luculenta, erudita et sat stylo nitida*. Thomas Aquinas citat jam sub Bedæ, jam sub Alcuini nomine. His addere denique juvat quod Mabillonius

A pag. 422 seq. Analect. (editionis veteris tom. I, pag. 413) in lucem protulit *Versus elegiacos ad Hildeboldum* Antissiodorensis Episcopum, quos Hericus hic monachus præmiserat *Collectaneis* suis, de quo hæc adnotat editor doctissimus: « Hericus, seu Hericus Ericusve, natus est in agro Antissiodorensi, in vico ab ipsius nomine dicto *Hery*, duabus leucis infra urbem, ad fluvium Armentionem: qui locus hactenus cænobio S. Germani subjectus est. Puer, ut puto, eidem monasterio traditus, Haymonem, postea Halberstadiensem episcopum, et Lupum, abbatem Ferrariensem, præceptores habuit adolescens, uti ipse in his versibus testatur (a), quæ *Præfatio* est in *Collectanea* ex ore præceptorum suorum excerpta. Hæc *Collectanea* in codice Corbeiensi ante annos septingentos manu descripto cum *Vita sancti Adelhardi abbatis* compacta reperiuntur. In his fragmenta referuntur primo ex Valerio Maximo: tum ex Patribus, Hieronymo, Augustino, Beda et aliis. Plura alia scripsit Hericus, ut *Gesta episcoporum Antissiodorensium*, collaborantibus Rainogala et Alago canonicis, ut patet ex capite 39, ubi Hericus *Theosophus simul et monachus* appellatur. Denique et *homilias in Evangelia* composuit, testante imprimis Honorio Augustodunensi iv, 49, cui consentit Joan. Trithemius c. 289, etc.

(a) Hic præceptorum sunt ludicra pulchra duorum,  
Quis ego præsulibus ingenium colui,

His Lupus, his Haimo ludebant ordine grato, etc.

## HERICI MONACHI PRÆFATIO

*In suas sexaginta quatuor homilias de Tempore et Sanctis.*

(Pez., Thesaurus Anecdotorum novissimus.)

Ego humilis frater Henricus monachus, prædicatorum Patrum commonitus petitionibus, quatenus *homilias*, id est vulgares sermones, pro facultate mei ingenii edam. Quibus obsecrationibus aures inclinavi, licet non sponte, sed quasi invitus, spem tamen ponens in eum, qui aperit: *Aperi os tuum*, etc. Et etiam propter laudem divinam excolendam tale onus causa devotionis et obedientiæ subii laborem. Quapropter universitati vestræ supplico sicut inscius ad bellum, qui nescit inire duellum vel ut precibus vestris obnixis accinctus sic discrete ac lucide valeam inchoare opusculum, ut primum medio, me-

C dium non discrepet imo: hoc etiam expostulans attentius ab illis, qui forte causa deductionis velint huic opusculo insudare, si quid corrigendum in eo invenerint, charitativæ lima correctionis studeant diligenter polire. Sancti Spiritus gratia dignetur nobis adesse, qui spem nostram ad mysterium Incarnationis Filii Dei figimus sic exordiendo: *Ecce venit desideratus*, etc.

*Incipit prima homilia de Ante Natale Domini.*

Appropinquante jam sacratissima solemnitate, qua Salvator noster inter homines nasci misericorditer voluit, etc.